



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

189. Dominica 3. post Pentecost. De appetione Dei ultimi finis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Dominica 3. post Pentecosten.* 333

aquæ vivæ, afflictus consolatorem, vallatus ab hostibus defensorem, Accipiam sub poena mortis, *Nisi manducaveritis, &c.* sub spe promissi, *Non veni propter justos.* Ab Altari munus SS, Trinitati offerendum Deum Deo per Deum, quia est, qui est, ad dandum gustum Deo: pro beneficijs acceptis & accipiendis, pro venia culpæ, poenæ pro culpis debita, pro donis, quibus egemus, pro necessitatibus in quibus sumus & erimus, pro amicis, & inimicis, vivis, & defunctis, &c.

MEDITATIO CLXXXIX.

*Dominica 3. post Pentecosten.*

*De appetitione DEI ultimi finis.*

**V**idebo pulchrum opus universi exornatum à Deo, ut ornatur imago à pictore, infra me malam, supra me bonam æternitatem, juxta merita quoque, vel demerita ad alterutram festinantes. Petam non aberrare à fine meo, ut contigit ovi perditæ.

*Conf. 1.* Mundum à Deo creatum non utilitati, nullius indigi, sed manifestandæ bonitati Dei, non ipsi Deo, quàm antè ab æterno novit, sed creaturis non irrationalibus, cognitionis incapacibus, intellectualibus igitur, qualis est homo. Quare si omnis res visibilis corporali vitæ hominis servit, corpus autem ordinatum est ad animum nobi-



334 *Dominica 3. post Pentecosten.*

nobiliorem, animæ verò præcipui actus hominem perficientes sunt cognitio, quæ ex fine perficitur, & universa propter semetipsum operatus est Dominus, ad gloriam suam. Igitur propter Deum agnoscendum creatus est mundus visibilis. Gratiarum agam Domino, quod tam magna & multa mihi dederit, naturalia, & supernaturalia. Dolebo, quod tanta dona vel amiserim, vel otiosa habuerim, vocationi non responderim, auxilia contempserim.

*Conf. 2.* Quæ à me requiruntur, esse septem: Agnoscere Deum, revereri, laudare, corde, ore, opere, ei que servire, idque propter septem causas: Benefactori enim debeo esse gratus, initium autem gratitudinis est eum agnoscere; excellentiæ debeo reverentiam, quæ datur personæ, propter id, quod est, præclaræ factis personæ majorem debeo laudem, præsertim propter excellentiora opera, ut sunt supernaturalia, servitutem debeo Superiori, præterquam, quod quisque tenetur ordinare actiones suas ad exequendum munus à Deo sibi impositum, quisque etiam tenetur actiones suas perficere, finis autem opus perficit: ubi denique labore temporalivendale proponitur præmium æternum, quod si negligatur, poenæ intentantur æternæ, inevitabilis incumbit Deo servienti



*Dominica 3. post Pentecosten.* 335

viendi necessitas. Gratias agam Domino, quod me non ad serviendum creaturis, sed sibi, ad obtinendam cum Angelis gloriam condiderit. Proponam ex rebus creatis admittere, quæ ad Deum ducunt, rejicere, quæ seducunt, ad hoc auxilia postulare.

*Conf. 3.* Quia me *Deus creavit hominem in-*  
*extermabilem, Sap. 2.* Non ut visibilia se-  
cter: quia ijs sum excellentior, sed ut Deum  
agnoscam, igitur proponam divina meditari:  
ut Deum verear, Deum igitur timere, & a-  
mare super omnia volo: ut eum laudem, a-  
ctus igitur religionis internos, externosque  
frequentabo, ut ei serviam, vivam igitur glo-  
ria Dei victima, quoniam *ibit homo in domum*  
*æternitatis sue, Ecelesi. 12.* & si aberrare non  
vult in malam æternitatem, debet de rebus  
sentire, sicut sentit Deus, sentus Dei de rebus  
habitura Christo tribus hisce verbis: *illi soli*  
*servies: Matth. 4.* Ergo susceptiones mundi, car-  
nis, demonis nō attendam, sed Christi exem-  
plo mandata, consilia, & inspirationes divi-  
nas exequar. Amorem proprium, commoda,  
honores, vanum timorem, indocilitatem,  
propriam judicium, pertinacem volunta-  
tem, superfluum affectum vitæ, tanquam vi-  
lia, & coram Deo, ac Sanctis ejus infamia ob-  
stacula, rescindam ope Dei Eucharistici, qui  
*proprium orium cibus simul & fons factus est.*  
*Ita Theodoret: in Psal. 33.* MEDI.